



*Hebr. XII, 25. 26. 27. 28.*

---

§. I.

**Q**uanquam in hoc communi luctu ac squalore patriae, publicaue complurium gentium calamitate, & imprimis perturbatae Germaniae afflictissimis rebus, omnia perculsa atque prostrata esse videantur, quae tamen est immortalis Dei prudentissima rebus humanis consulendi providendique cura, stat etiamnum immota civitas Dei, firmissimisque nititur fundamentis, ut horror futuri temporis, qui in armorum animorumque ardore solet esse maximus, non tam leniatur, quam potius fiducia in Deum falli nescia fortissime devincatur. Equidem haud recusabo, sacrorum quoque rempublicam a Deo sanctissime constitutam, piisque maioribus religiosissime ornatam, belli impetu, gravissimisque armorum iniuriis magnopere quassatam esse, & in affligendis Dei cultoribus ad belli impietatem accessisse sceleris etiam insidiarumque turpissimarum consensionem; at vel inferorum furore nulla perdere potuit dignitatis suae ornamenta, nulla stabilitatis suae praesidia regnum Christi, quod vocabulo maiestatis divinae plenissimo a gentium doctore dicitur βασιλεία ἀπαύλετος.

A 2

§. 2.